

JOANNIS CLERICI Epistola &c.

rosque fuisse corruptos; & contrarium etiam, sive ex antiquioribus Hieronymo, sive ex æqualibus, aut supparibus Scriptoribus constat. Nulla est doctrinæ Christianæ pars, quæ variis illis lectionibus vel minimum aut olim, aut posterioribus sæculis, obscurata fuerit.

Ait *Millius Proleg.* pag. CLXII. col. 2. extremâ, Reverendiss. Episcopum Oxoniensem *Joan. Fellum*, qui illi hujus operis suscipiendi auctor fuerat, ut ad editionem quàm primum inchoandam eum adduceret, dixisse, *satis superque temporis insumentum esse Biblicis Versionibus conferendis, multo magis corrogandis citationibus SS. Patrum, qui quidem ipsi Sacras Scripturas neglectius, ex memoria, & ad sensum ferè, non autem ad exemplarium suorum fidem allegarunt; tum subdit: hæc enim erat præproperea illius opinio, juxta cum aliis viris eruditis, qui cum apud Veteres loca S. Codicis à vulgato nostro textu diversè haud rarò prolata videant, illico lectionibus illorum parum tribuendum arbitrantur. Nec Fellus, nec Millius prorsus fallebantur: negari enim non potest 1. quin sæpe Patres, præsertim antiquiores, ex memoria Scripturam laudarint, cujus rei ex *Methodio & Optato* clara exempla protuli, possentque multo plura ex aliis proferri; non nolente *Millio*, qui loca à *Justino & aliis tumultuariò* citata ipse ait, hoc est, negligenter & minus accuratè; 2. quin, pro verbis Scripturæ Sacræ, protulerint interdum interpretationem & sententiam, quam iis inesse putabant; quod ex *Optato* etiam demonstravi, possétque pluribus ostendi. Vicissim, qui vel ea, quæ ad nonnulla testimonia à *Methodio*, aut *Optato* prolata dixi, paullo studiosius expenderit, facilè intelliget multa primo intuitu posse haberi pro minus accuratis citationibus, aut fallente memoriâ prolatis, quæ re verâ deprompta erant ex Codicibus. Itaque nec *Millius* prorsus fallebatur.*


Unde ergo, inquires, ejusmodi citationes secernemus? Primum rem & stylum probè considerabimus, quæ si dissentient à doctrina & stylo Scriptorum Sacrorum, à nobis rejicientur; qualia sunt quædam, quæ antiqui Codices nonnulli habent, ex supposititiis Libris. Secundo loco, citationes conferemus cum antiquis Interpretibus & Libris, à quibus omnibus si dissentiant, merito à nobis rejicientur, quales sunt aliquot lectiones ex *Optato* prolata. Vix enim ac ne vix quidem potest fieri, ut unus Scriptor proferat ex Libris suis locum prorsus aliter ac alii, qui ante & post eum, in una Ecclesia, aut in pluribus scripserunt, & uno consensu ejus loci verba eodem modo recitant. Quod si accedat auctoritas priscorum omnium Librorum, Interpretumque, confirmantium lectionem Veterum Scriptorum; quis dubitare sustineat, quin ea, quæ contraria afferentur, sint vacillantis memoriæ lapsus, aut Interpretationes, non lectiones quæ ex Codicibus manarint? Quod si è contrario plures Scriptores, Codices aut Interpretes conspirent, nemo somniet eorum omnium memoriâ eodem modo cespitasse; qualia etiam sunt nonnulla à nobis prolata.

Hæc si accuratè observentur, lectiones veteres & veræ, mi *Optimiane*, è Scriptis Patrum, præsertim antiquiorum, non minus haurientur & confirmabuntur, quàm ex Codicibus manu exaratis qui supersunt; nec periculum ullum erit, ne memoriæ fallentis ludibria, aut interpretamenta, seu inania illa sint, seu vera, pro variis lectionibus habeantur. Verum hæc, ut pro argumenti dignitate accuratius excuterentur, oporteret copiosius multo diduci.

Jam dudum animo opusculum concepi, & silvam nonnullam paravi, quâ constabit. Inscribetur *de citandis Veteribus ad testimonium dicendum*, in quo hæc & alia eodem pertinentia studiosius expendentur, cum vacabit. Vale.

Dabam Amstelodami a. d. XIV. Cal.

Octobris M D C C VIII.



PRO-